

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Conuersio a  
cum fonte primo

Vt sit homo aliquid  
conuertat se ad illum a quo creatus est.  
Recedendo enim frigescit, accedendo feruescit,  
recedendo tenebrescit, accedendo clarescit.  
A quo enim habet ut sit,  
apud illum habet ut bene sit.

Ergo qui uult simul esse cum Deo,  
non ab illo recedat sed ad illum accedat.

Augustinus super Psalmum LXX.

Vt autem homo sit aliquid,  
conuertit se ad illum a quo creatus est.  
Recedendo enim frigescit; accedendo feruescit;  
recedendo tenebrescit; accedendo clarescit.  
A quo enim habet ut sit,  
apud illum habet ut ei bene sit.  
Denique filius minor,  
qui uoluit in sua potestate habere substantiam suam,  
quae illi apud patrem optime seruabatur,  
factus suae potestatis,  
profectus est in regionem longinquam,  
haesit principi malo, porcos paut;  
fame correctus est qui saturitate superbus abscesserat.  
Ergo quisquis ita uult esse similis Deo,  
ut ad illum stet, fortitudinemque suam, sicut scriptum est,  
ad illum custodiat, non ab illo recedat,  
ei cohaerendo signetur tamquam ex anulo cera,  
illi affixus habeat imaginem eius,  
faciens quod dictum est: *Mihi adhaerere Deo bonum est,*  
uere custodit similitudinem et imaginem  
ad quam factus est.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*,  
70.2.6 (CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.965,  
II.45-59).